Zaborowski Jacobi: De missione sacerdotum in ecclesia Romana, contra Martinum Smiglecium Jesuitam

1615.

DE MISSIONE SACERDOTVM IN ECCLESIA ROMANA,

Contra Martinum Smiglecium Jeſuitam, Theologiæ Doctorem,

DISSERTATIO.

Authore

JACOBO ZABOROWSKI
Evangelii Miniſtro.

Cum permiſſu Superiorum.
Anno Domini, 1615.

ILLVSTRI ET MAGNIFICO DOMINO,

D. ANDREÆ FIRLEY A DĄBROWICA,

Domino & Patrono suo liberalissimo,

Salutem plurimam, & in omnibus felicem successum in annos quàm plurimos, à Deo Opt: Max: sincerè precatur.

ANTIQVITATIS CHRIstianæ decus, *Illustris Domine, Sanctus ille Augustinus, in Epistola sua ad Hipponenses, inter cætera scribit:* Cùm ipsam Scripturarum veritatem criminari, aut obscurare non possunt, per quos prædicatur, inducunt in odium, de quibus, quidquid in mentem vènerit, effingere non verentur. *Sagacissimè vir prudentissimus acie animi expiscatus est mentem & artes hostium veritatis, qui in more positum habent præcones veritatis vilipendio & contemptui apud credulam plebem exponere, quò facilius ipsa veritas, per illos asserta, ab hominibus contemni & nihili fieri posit. Inter alia verò, quibus Ministros verbi Divini apud omnes exosos reddere satagunt, non postremum est, quod*

illis illegitimæ mißionis maculam aſpergere conantur. Non enim à Miniſtris Evangelii quærunt, Quid docetis? Quibus firmamentis nititur Doctrina veſtra? Sed. Quis vos miſit? Quis vobis dedit poteſtatem docendi? AEmulantur Pontificii illos, qui posteaquam ab Aarone degeneraßent, Traditionum ſuarum lernam ſucceßione perſonali contectam voluerunt, Dominoq́ Ieſu Eccleſiam reformanti eandem cantilenam occinebant, Quâ poteſtate id facis? Quis tibi dedit poteſtatem hanc? *Porro quæſtionem de Vocatione Miniſtrorum tanti faciunt, ut deciſionem omnium controverſiarum ab ea pendere velint. Ita enim Smiglecius in Nodo Gordio:* Quorſum, *inquit*, tot clamores excitantur de Miſſa, de utraque Specie, de Imaginibus, de Sanctorum invocatione, de Purgatorio, & aliis articulis? *Statuatur ſemel, an qui hæc docent ſint veri Chriſti Miniſtri nec ne? & ſimul ſtatuetur, Doctrinam eorum eße veram vel falſam. In qua quæſtione, ut Ieſuitis, qui nos ea accerrimè urgere volunt, abundè fiat ſatis, non tantum ad decem Demonſtrationes, Martini Smiglecii, quibus Vocationem noſtram oppugnabat, per Dei gratiam reſpondi, ſed etiam eidem octo Rationes, quibus Sacerdotum in Eccleſia Romana Mißio radicitùs cõvellitur, in hac mea dißertatione oppono. Spero in poſterum Ieſuitas, in hac quæſtione contra nos urgenda, mitiores fore, ubi ſenſerint ſe propriam Vocationem vix, aut ne vix quidem, defendere poße. Quemadmodum enim Hannibal in Italia bellum gerens Romanis importunus & moleſtus fuit, poſtquam verò Scipio in*

Afri-

Africam bellum transtulit, & Hannibal domitus, & Carthago funditùs eversa est: ita Iesuitæ, qui nobis importuna dicacitate negotium facessere videbantur, ubi in ipsorum fines disputatio translata fuerit, illorumqúe Vocatio à nobis oppugnari cœperit, cristas proculdubio deponent, nec Ecclesiæ Dei tam molesti erunt. Vt verò sub Illustri nomine tuo hæc lucubratio mea in lucem prodiret, fecit benevolentia Sanctissimæ recordationis Patris tui, Illustris Domini Andreæ Firlæii à Dabrovica Castellani Radomiensis, Capitanei Covellensis, &c. Patroni de Ecclesia Dei optimè meriti, quâ me semper complexus est: imperarunt etiam id jure quodam suo, tua, non tantum in me, quibus abs te ornatus sum, beneficia, sed etiam, in Ecclesiam Dei maxima merita. Quis enim nesciat, quanto tu cum sumptu, postquam ex Academiis à mercatu bonarum literarum rediisti, arma nunquam deponens, ut Avitam famam propages, Patriæ inservias? attamen annuatim pro Collega in Schola Cotskoviana, quam Illustris pater tuus erexit, honestè alendo, liberaliter sumptum confers, hacq; ratione gloriam Dei strenuè promoves. Quod beneficium huic seminario collatum, ut ipse Deus tibi omnibus bonis abundè rependat, hoc est votum non tantum meum, sed etiam omnium in hac Schola tàm docentium, quàm discentium. Accipe igitur, Illustris Domine, sereno vultu hanc lucubrationem meam, testem & obsidem meæ erga te gratitudinis; Paternarumq; virtutum hæres, me eo loco habe, quo à Patre tuo Sanctissimæ memoriæ, servi Dei semper sunt habiti. Ego verò Deum Optimum Maximum ardenter

precabor, ut te ſingulare Illuſtris Familiæ Dominorum à Dabrovica decus, omnibus bonis locupletatum, diu ac feliciter, magno Eccleſiæ & Patriæ bono, ſalvum ac incolumem ſervet. Dabam Cotskoviæ Calend: Octobr. Anno Domini, 1615.

Tuam Illuſtrem Magnificentiam
ſubmiſsè colens

IACOBUS ZABOROWSKI
Miniſter Verbi Divini.

DE MISSIONE SACERDOTUM in Ecclesiâ Romanâ, contra MARTINUM Smiglecium IESVITAM Theologiæ Doctorem,

DISSERTATIO.

VETUS verbum est, vir doctissime: *Qui dicit quod vult, audiet quod nolit.* Dixisti tu in Nodo Gordio, contra nos, quæ voluisti: si igitur audias, quod minùs aures tuas demulceat, æquó animo ferre debes: sic enim fert disputationis alea.

Refutavimus, per Dei gratiam, tuas Demonstrationes decem, quibus Ministrorum Evangelii legitimam Vocationem convellere voluisti: en ego etiam tibi oppono numero quidem impares, quia tantum octo, sed pondere graviores, contra vestram in Ecclesia Romana missionem rationes, experiri cupiens, quantum sit tuum in defendenda propria vocatione robur. Eas tu examina, ut lubet: specimen tamen ejus modestiæ, quam hactenus præ te tulisti, nunc quoque daturus.

Possem quidem jure optimo argumentari;

Qui ad disseminandos gravissimos in religione errores ordinantur, legitimi Pastores non sunt.
Sacerdotes Pontificii eo fine ordinantur.
Legitimorum igitur Pastorum nomine dignandi non sunt.

Possem probare minorem inductione errorum in Articulis fundamentum fidei concernentibus: sed, ne te à proposita materia aliò avocare videar, hoc controversiarum omnium pelagus ingredi nolo. Ea itaque argumenta contra te vibrabo, quæ proximè ad Causam faciunt, quorum primum esto:

I. QUICUNQUE eo fine ordinantur, ut passionem & mortem Christi evacuent, legitimi Ministri non sunt.
Sacerdotes Pontificii eo fine ordinantur.
Ministri igitur legitimi non sunt.

Major extra controversiam vera. Omnes enim veri Ministri, summis, valorem & fructum passionis & mortis Christi, sub cælum laudibus extulerunt, adeò ut se *nihil aliud scire, præ-* 1. Cor. 2. v. 2.

re, præter Christum crucifixum, gloriati fuerint: proinde qui fructum mortis & passionis Iesu Christi evacuant, Ministri legitimi esse non possunt. Minor probatur hac ratione.

Quicunque ad celebrandam Missam ordinantur, illi eo fine ordinantur, ut passionis & mortis Christi fructum, valorem, & efficaciam evacuent.

Sacerdotes Pontificii ad celebrandas Missas ordinantur, talis enim forma illorum ordinationis: *Accipe potestatem offerre sacrificium Deo, missasque celebrare, tam pro vivis, quam pro mortuis, in Nomine Domini.*

Ergo Sacerdotes eo fine ordinantur, ut fructum, valorem, & efficaciam passionis & mortis Christi evacuent.

Minor cùm negari non possit, in Majore ergo cardo totius controversiæ, quæ probatur hac ratione.

Negare Pontificii non possunt, passionem & mortem Christi, esse cruentum propitiatorium Novi Testamenti sacrificium. Cujus proprietates hæ sunt.

Proprietates Sacrificii cruenti.

1. Quod idem sit Sacerdos, idem & victima. Sacrificium enim Novi Testamenti, ut à perfectissimo Sacerdote offerendum erat, ita summi precii & dignitatis esse debebat. Cùm itaque Christus Sacerdos perfectissimus, seipso nihil preciosius habuerit, seipsum Patri in cruce obtulit, ac ita factus idem Sacerdos, qui & victima, quam nullus Angelorum nedum hominum, offerre potuit, aut etiam nunc potest: in solum Christum tantum dignitatis cadit, Heb: 9. v: 25. *Neque ut sæpe offerat semetipsum.* Ephes: 5. v: 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea.* 1. ad Timoth: 2. v: 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Hinc Augustinus: *Christus*, inquit, *accepit à te, quod offerret pro te, in ipsa carne factus est victima, & sacrificium.* Idem alibi: *Christus est idem Sacerdos & Sacrificium: idem Deus & Templum. Sacerdos, per quem; Sacrificium, quo; Templum, in quo; Deus, cui sumus reconciliati.*

In Psal: 129.

De fide ad Petr: cap: 2.

2. Proprietas. Ut hoc Sacrificium semel tantùm sit oblatum. Perfectum enim esse debet. At si repeteretur, imperfectum esset: cùm repetitio sit imperfectionis argumentum: quemadmodum sacrificia legalia repetebantur, quia imperfecta erant.

3. Proprietas. Ut hoc sacrificium sit summæ perfectionis, & æternæ efficaciæ. Illi enim à Spiritu sancto tribuuntur tria summam ejusdem perfectionem evincentia. Primò. Peccatorum expiatio, Heb: 9. v: 25. *Christus semel oblatus est, ad multorum exhaurienda peccata.* Secundò. Sanctificatio, Heb: 10. v: 10. *Sanctificati*

cati sumus per oblationē Christi semel. Tertiò. Consummatio. Ioh: 19. v: 30. *Consummatum est.* Heb: 10. v: 14. *Vna oblatione Christus consummavit sanctificatos.*

Has proprietates veri, unici propiciatorii sacrificii in cruce peracti, passionis nempe & mortis Christi tollunt, qui missas celebrant, ac ita tanti sacrificii fructum, valorē, & efficaciam, quantum in se est, evacuant.

Pontificii tollūt proprietates cruenti sacrificii.

Tollunt proprietatem primam. Quia sacerdotibus peccato contaminatis tribuunt, quòd Christum Patri offerant, ac ita suos sacerdotes Christo digniores, (siquidem in omni sacrificio sacerdos est dignior victima) aut saltem pares, non sine blasphemia, faciunt, Christum vero suo sacerdotali munere spoliant. Quod faciunt contra apertum Dei verbum, Psal: 110. v: 5. *Tu* (non dicit *Vos*) *es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedec.* Heb: 7. v: 24. *Christus eo, quod manet in æternum* ἀπαράβατον, id est, sempiternum, perpetuum, vel intranscensibile, hoc est, sine successore, habet sacerdotium.

Primam.

Idem faciunt contra venerandam antiquitatem. Ita enim Cyrillus, *Præter Christum*, inquit, *nec rem, nec nomen sacerdotis* (ratione videlicet propiciatorii sacrificii) *cuiquam adscribimus.*

Ep: Synod: cont: Nestor.

Tollunt proprietatem secundam. Quia Christum quotidie in Missa offerri somniant, ac ita Christi sacrificium, in cruce semel peractum imperfectionis arguunt. Quod faciunt contra manifestam scripturam: Quæ, Primo negat Christum Quotidie offerri, Heb: 7. v: 27. *Christus non habet necessitatem Quotidie priùs pro suis, postea pro populi delictis, hostias offerre: hoc enim fecit semel se offerendo.* Secundò, negat sæpè offerri, Heb: 9. v: 27. *Neque ut sæpè offerat semetipsum.* Tertio, affirmat Semel Christum oblatum esse, Heb: 9. v: 25. *Nunc autem semel in consummatione seculorum per suam hostiam apparuit.* v: 28. *Christus semel oblatus est*, &c. Heb: 10. v: 10. *Sanctificati sumus per oblationem corporis Christi semel.* Eadem scriptura hanc oblationem vocat unam. Heb: 10. v: 14. *Vna oblatione consummari in sempiternum sanctificatos.* Faciunt id etiam Pontificii, contra venerandam sanctorum Patrum caniciem, qui de unico Christi sacrificio egregiè ita scripserunt: Basilius, *Vna expiatio peccati, nempe sanguis ille pro salute mundi effusus.* Chrysostomus: *Christus non semper crucifigitur; unum enim pro peccatis nostris tulit sacrificium, sed semper per illud nos purgat.* Idem alibi: *Non est aliud sacrificium, unum non purgavit: post istud ignis & gehenna.*

Secundam tollūt.

Scriptura negat Christum offerri Quotidie.

Negat sæpe offerri.
Affirmat semel offerri.

Vnam vocat oblationem.

In cap: 1. Esa:

In Ioan: Hom: 17

In Epist: ad Heb: hom: 13.

Tertiam tollunt. Tollunt tertiam proprietatem. Quia Christi sacrificium, in cruce peractum, insufficientiæ arguunt, dum in supplementum defectus cujusdam, Missam in satisfactionem pro peccatis viventium & defunctorum substituunt. Aut enim Christus pro omnibus peccatis morte sua plenè & sufficienter satisfecit, aut non. Non satisfecisse, manifestè falsum est: quia ipse Christus inquit, *Consummatum est.* Paulus verò: *Consummavit in sempiternum sanctificatos.* Si igitur Christus morte sua pro omnibus peccatis, plenè & sufficienter satisfecit, Missa ergo in supplementum satisfactionis substitui non debet. Divinè sanctus Cyprianus; *De Bapt: Christ:* *Sacrificium*, inquit, *quod Christus in cruce obtulit, sic in beneplacito Christi & Dei constat acceptabile, & perpetuâ virtute consistit, ut non minus hodie, in conspectu Patris oblatio illa sit efficax, quam ea die, quâ de saucio latere sanguis & aqua profluxit.* Cùm itaque Missa proprietates sacrificii Christi in cruce peracti fundamentaliter tollat, ac ita fructum, valorem, & efficaciam ejusdem evacuet, sacerdotes verò in Ecclesia Romana ad eam celebrandam potissimùm ordinentur, sequitur ob id ipsum, illos legitimorum Ministrorum nomine, minimè dignandos esse.

II. Argumentum. Quicunque eo fine ordinantur, ut id, quod solius Dei proprium est, ad se rapiant, illi fidi servi Omnipotentis Dei esse non possunt.

Sacerdotes Pontificii eo fine ordinantur.

Non possunt igitur esse fidi servi Omnipotentis Dei.

Major negari nequit. Qui enim est fidus Dei servus, gloriam Dei, quantùm in se est, promovet, non præripit. Minor probatur hac ratione. Solius Dei proprium est, plenâ & judiciariâ potestate peccata remittere. Ita enim ipse de se Esai: 43. v: 25., *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me, & peccatorum tuorum non recordabor.* Apoc: 3. v: 7. *Aperit, nemo claudit: claudit & nemo aperit.* Hanc potestatem sibi arrogant Sacerdotes Pontificii. Ita enim Smiglecius: *Nod: Gord: fol: 30. cap: 7.* *Catholici*, inquit, *plurimum sacerdotibus suis debent, quod inter cætera ex eorum manibus peccatorum veniam, Dei gratiam, & vitam æternam accipiunt.* Non sunt igitur sacerdotes fidi servi Omnipotentis Dei.

III. Argumentum. Qui ad promovendam & exercendam Idololatriam ordinantur, illi legitimi Pastores gregis Christi esse non possunt.

Sacerdotes Pontificii ita ordinantur.

Non sunt igitur legitimi Pastores gregis Christi.

Major per se manifesta. Cultus enim Dei verus, propter quem exercendum legitimi Pastores ordinari debent, cum Idololatria consistere nequit. Minor probatur sic: Idololatria est, *cùm cultus Divinus exhibetur, cui non debet, id est creaturæ*, teste Thoma Aquinate secunda secundæ quæst: 94. Art: 1. Ad talem cultum exercendum ordinantur sacerdotes. Ordinantur enim ad Eucharistiam populo eandem adoraturo in Missa ostentandam. Quam esse creaturam negare non possunt. Nec enim contradicent Ambrosio ita scribenti: *Venisti ad Altare, & creaturam miratus es, verùmtamen creatura solennis & nota.* Assentientur Augustino discernenti inter *Panem Domini*, & *Panem Dominum*, dum scribit; *Cæteri manducabant Panem Dominum: Iudas manducavit panem Domini, contra ipsum Dominum.* Ordinantur ergo sacerdotes ad Idololatriam promovendam & exercendam: proinde legitimi Pastores gregis Christi esse non possunt. *Lib:4.cap:3.de Sacr.*

IV. ARGUMENTUM. Qui per pecuniam, & alias artes malas, suam ordinationem consequuntur, illi legitimè ordinati non sunt.

Pontificii Episcopi & sacerdotes ita ordinationem consequuntur.

Legitimè igitur ordinati non sunt.

Major probatur Canone 30. Apostolorum. *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem, dejiciatur & ipse, & ordinator ejus, & à communione modis omnibus abscindatur. Sicut Simon Magus à Petro.* Vide Gratianum caus:1. quæst:1. Minor probatur ipsa rei evidentia & testimonio Iesuitæ Iacobi VVuiek in Concione de S. Stanislao. De veritate igitur Conclusionis nullus dubitandi locus.

V. ARGUMENTUM. Veri & legitimi Ministri debent esse dispensatores, non dissipatores Sacramentorum.

Sacerdotes Pontificii sunt non tantum dissipatores, sed etiam sacrilegi divisores & mutilatores Sacramenti Corporis & sanguinis Christi.

Non sunt igitur legitimi Ministri.

Major est Smiglecii in Nodo Gordio demonstratione sexta. Minor probatur testimonio duorum summorum, ut Pontificii volunt, Pontificum. Vnam speciem sacramenti accipientes condemnantium. Ita enim scribit Gelasius: *Comperimus, quod quidam sumptâ tantummodo corporis portione, à Calice sacrati cruoris abstineant: qui proculdubio, quoniam nescio qua superstitione docentur* *De Consecrat: Dist:2. C. Comperimus.*

 astringi,

astringi, aut integra Sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur. Quia divisio unius ejusdemque sacramenti, sine grandi sacrilegio non potest provenire. Ita Leo Magnus: *Hæretici ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ, omnino haurire declinant, quod ideò vestram volumus scire sanctitatem, ut nobis hujusmodi homines, ex his manifestentur, indiciis; & quorum deprehensa fuerit sacrilega dissimulatio, notati, à sanctorum societate, sacerdotali authoritate pellantur.*

Serm: 4. Quadrag.

De veritate itaque Conclusionis nemo sanæ mentis dubitare debet.

VI. ARGUMENTUM. Veri & legitimi Ministri, juxta orationem Dominicam symbolum Apostolicum & Decalogum cultum Dei instituunt, & plebem sibi commissam docent.

In ista tria Pontificii sacerdotes impingunt.

Veri igitur & legitimi Ministri non sunt.

Major in Confesso. Ista enim sunt religionis Christianæ prima rudimenta.

Pontificii Sacerdotes impingunt in Symbolum.

Minor probatur hoc modo: Pontificii sacerdotes impingũt in symbolum. Impingunt in Articulum. Credo in Deum: quia

1. sanctos invocandos docent. Aut enim in sanctos credunt, aut non. Si credunt, maledicti sunt, juxta illud Hiere: 17. v: 5. *Maledictus qui confidit in homine.* Si non credunt, invocare ergo illos nõ debent, dicente Paulo: Roman: 10. v: 14. *Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt?*

2. Secundò, impingunt in Articulos, de Concepto, nato, passo, crucifixo, & mortuo Christo. Christus enim, conceptus, natus, passus, & mortuus est, *propter peccata nostra, resurrexit verò propter justificationem nostri*, Rom: 4. v: 25. Sacerdotes autem Pontificii in sanctorum & propriis meritis, justitiam & salutem quærendam docent.

3. Tertiò, impingunt in Articulum de Ascensione Domini. Articulus enim docet Christum in cælo, quoad carnem ad dexteram Patris esse, ibique pro nobis apud Patrem advocatum agere, Rom: 8. v: 34. Heb: 9. v: 24. Sacerdotes autem Christum juxta carnem in terra ostendunt, & ad alios intercessores populum ablegant.

4. Quartò, impingunt in Articulum, *Credo Ecclesiam.* Non enim credere, sed videre Ecclesiam volunt, quoties Ecclesiam Catholicam visibilem esse contendunt. *Fides autem est argumentum rerum non apparentium*, Heb: 11. v: 1.

Quintò, impingunt in Articulum, *Credo remissionem peccatorum & vitam æternam*, quia fidem specialem & certitudinem salutis impugnant. Si enim credunt tantum in genere, sine speciali applicatione, quod Deus dimittat quibusdam peccata, & donet vitam æternam, Dæmones etiam id credunt, nihil ergo illorum fides à fide Dæmonum differt. 5.

Impingunt Pontificii sacerdotes in orationem Dominicam. Primò. Quia oratio Dominica solum Deum invocandum docet, ita enim orare jubemur, *Pater noster qui es in cælis*; Sacerdotes verò non tantùm aliis precibus, sed etiam hac ipsa oratione, sanctos compellandos docent. Ita enim censura Coloniensis folio 208. & Canisius in opere Cath: fol: 81, 82. orationem Dominicam fundimus sanctis. Quomodo ergo ista cohærebunt, si oratio Dominica fundi potest sanctis, *Pater noster, Sancta Maria, sancta Magdalena, sancta Theda, qui es in cælis?*

Impingunt in Orationem Dominicam. 1.

Secundò. Quia oratio Dominica, Panem hunc quotidianum labore nostro partum, quo corpora aluntur, emendicatum tamen à Deo docet. Ita enim oramus, *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*. At Pontificii, ipsam vitam æternam, meritis nostris deberi contendunt. Quantò rectius ergò Augustinus, *Si daret Deus quod mereris, utique damnaret; non dat tibi debitam pœnam, sed donat indebitam gratiam.* 2. *In Psal: 31.*

Tertiò. Quia dicentes, *Remitte nobis debita nostra*, non ita orant, ut debent. Aut enim cum fide remissionem peccatorum postulant, aut sine fide. Si sine fide nihil accipient, dicente Iacobo 1. v: 6, 7. *Postulet autem in fide, nihil hæsitans, qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur, & circumfertur. Non ergo æstimet homo ille quod accipiat aliquid à Domino.* Si cum fide postulant, postulant aut cum generali, aut cum speciali. Generalis ad obtinendum non sufficit. In ipsos enim Dæmones, *qui credunt & contremiscunt*, cadit. Specialem fidem Sacerdotes præsumptionem hæreticam vocant: turpiter igitur in orationem Dominicam impingunt. 3.

Impingunt Pontificii sacerdotes in Decalogum, quod possem probare inductione errorum contra singula præcepta, sed in præsentia hisce tribus contenti erimus. Dico ergo iterum, sacerdotes impingere in Decalogum. Primò. Quia contra primum præceptum, *Non habebis Deos alienos*, innumeros Deos, non nomine quidem, sed reipsa comminiscuntur. Cui enim tribuuntur attributa Dei essentialia, eidem essentia Divina tribuatur necesse est.

Impingunt in Decalogum. 1.

cesse est: At sacerdotes sanctis tribuunt talia attributa, ut est, Cordium nostrorum inspectio: fiducia in ipsis collocata, & invocatio. Quot ergo sanctos sacerdotes Pontificii invocant, tot Deos sibi commentiti sunt.

2. Secundò. Quia contra secundum præceptum, *Non facies tibi sculptile*, Imagines faciunt, habent, adorant. Quod accuratè vitarunt antiqui Catholici. Ita enim Concilium Elibertinum. *Placuit in Ecclesiis picturas non haberi, ne quod colitur & adoratur in parietibus depingatur*. Epiphanius etiam velum in templo Christiano pendens conscidit, quod contra legem Christianam, imaginem Christi, aut alicujus sancti, depictam haberet. Quin etiam Lactantius ore rotundo dixit: *Apud nos dubium non est, quin ibi nulla sit religio, ubi est simulacrum, sed mimus religionis*.

Can: 36.

testatur ipse in Epist: ad Ioan: Hierosolymit:

Lib: 2. cap: 9.

3. Tertiò. Quia contra decimum Concupiscentiam post Baptismum peccatum esse negant. Refutantur enim à Paulo, qui post Baptismum suum ista tamen de se scribit, Rom: 7. v: 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret; Non concupisces*. Refutantur etiam hac ratione. Concupiscentia post Baptismum, aut discordat à lege Dei, aut cum ipsa concordat, si discordat, peccatum ergo est, quia peccatum nihil aliud est quam ἀνομία. si concordat, virtus ergo erit, ac ita peccatum parere non poterit. Quomodo ergo constabit illud Iacobi, *Concupiscentia, ubi conceperit, parit peccatum*. Cùm itaque sacerdotes in symbolum, orationem Dominicam, & Decalogum, tam turpiter impingant, legitimorum itaque gregis Christi pastorum nomen ipsis tribui non debet.

Iac: 1. v: 15.

VII. Argumentum. Ibi est legitima Pastorum ordinatio, ubi est vera successio.

In Ecclesia Romana non est vera successio.

Ergo in ecclesia Romana non est vera Pastorum ordinatio.

Major vera ex hypothesi adversariorum. Ita enim Bellarminus lib: 4. de Ecclesia militant: cap: 8. *Duo requiruntur, ut aliquis legitimè ab Apostolis descendisse dicatur; unum est successio: alterum ordinatio. Quantum ad successionem, requiritur ut succedatur alicui Apostolo, ut Polycarpus Ioanni: Omnes qui non per legitimam successionem & ordinationem descenderunt, fures sunt & latrones.*

Successio in Ecclesia Rom: quadrifariam interrupta.

Minor probatur eo, quia in Ecclesia Romana successio, quadrifariam interrupta est. 1. Primò. Per Papas Hæreticos. Zefferinus enim fuit Montanista, teste Tertulliano contra Praxeam. Liberius fuit Arianus, teste Athanasio Epist: ad solit: vitam agentes.

Marcellinus idolis sacrificavit, ut refert Concilium Sinvesanum. Cælestinus fuit Nestorianus, teste Laurentio Valla in Donat: Constantini. Honorius Monotelita: teste Epistola ejus ad Sergium. Plures Pontifices hæreticos taceo.

Secundò. Successio in Ecclesia Romana interrupta est, per sacrilegam irruptionem. Nicolaus enim 2., teste Platina, legem tulit, ut *quisquis non Canonica electione in Thronum Petri ascendit, is non Apostolicus, sed Apostaticus habeatur.* At quidam quomodo Thronum Petri adepti sunt? dicat idem Platina. Romanus, *Vi.* Christophorus, *malis artibus.* Bonifacius VIII. *dolo & fraude.* Sylvester II. *arte magicâ, & operâ Diaboli.* Formosus, *Simoniâ.* Martinus II., itidem *malis artibus* Pontificatum adepti sunt. De quibus rectè Picus Mirandulanus in Epist: ad Leonem, de reformandis morib: tractatu 4. *Plerique Pontifices, per summum dedecus, ad summum decus pervenerunt.* Isti itaque Pontifices juxta decretum Nicolai II., non Apostolici, sed Apostatici fuerunt. *Qui enim*, ut inquit Bernhardus, *non fideliter intravit, neq; per Christum, quidni infideliter agat, & contra Christum.* 2. In Vitis illorum.

Tertiò. Per schismata, quando plures Antipapæ fuerunt, Glovianus de schismate, pag:181. *Cùm tres simul Pontifices inaugurati essent, Ioannes XXIII. Gregorius XII. Benedictus XIII, tum quidem gravi schismate est Ecclesia Christi dilacerata, & in partes dissecta.* Stapletonus de Princip: doctrin: lib:14. cap:15. *Schisma in Ecclesia Romana de Pontificum successione annos ferè quadragintos durabat.* Bellarm: de Roman: Pontif: lib:4. cap:14. *Erant eo tempore tres, qui Pontifices haberi volebant. Gregorius XII. Benedictus XIII. & Ioannes XXIII. Nec poterant facile judicare, quis eorum verus ac legitimus Pontifex esset, cùm non deessent singulis doctissimi Patroni.* Per ista itaque schismata successio interrupta est. 3.

Quartò. Per Papam fœminam, quæ Ioannes VIII. dicta fuit, & Pontificatum biennio tenuit circa annum 850., quæ postea in processione enixa obiit. Negant quidem recentiores Pontificii, id sedi Romanæ unquam accidisse, sed nubem testium habent, qui ferè omnes, aut Abbates, aut Episcopi, aut ad minimum Monachi fuerunt. Antoninus Archiepiscopus Florentinus part: secun: hist: *Marmorea statua, propter rei perpetuam memoriam erecta est.* Cranzius Decanus in Cathalogo Pontificum: *Mulier sexum mentita virilem in partu moritur.* Guilhelmus Monachus in lib: Rithmico: *Tempore gignendi ad processum scanditur vico flendi, Papa cadit,* &c. Fasciculus temporum, cujus author quidam Cartusianus 4. Papa fœmina.

tusianus fol: 66. *Imprægnata in processione pergens peperit.* Baptista Mantuanus Carmelita: *En triplici Phrygiam Diadæmate mitram, Extollebat apex & Pontificalis adulter.* Valerius Anshelmus in Chronicis: *Pontificatum morum & doctrinæ præstantia comparatum infami partu defuncta reliquit.* Cornelius Agrippa de Vanit:scien:de sect:Manall: *Hæc, quod mulieribus negatum est, contulit sacros ordines, promovit Episcopos, ministravit Sacramenta. Nec irrita sunt ejus facta, communi errore faciente jus.* Platina in Vita Ioannis Octavi: *Hæc de illa ego scripsi, ne omisisse videar, quod omnes ferè affirmant.* Aliorum verba, ne opusculum dissertationis justo æquius excrescat, silentio transeo. Eadem enim referunt Sigebertus Monachus, Bergoniensis Eremita, Ioannes Stella, Nauclerus, Ioannes Lucidus, Ignacius Baptista, Balæus, Sabellicus, Ranulphus, Petrarcha, Boccacius, Matthæus, Palmerius, Tritemius Abbas, Ravisius textor, Chronica Crucigerorum, quæ etiam hunc Papam cum infante depictum habent. Nec non Martinus Polonus, quem ultimo loco nominatum volui, quia eum tanquam antesignanum oppugnatum it Bellarminus, lib:3. de Pontif: cap: 24. Sed quibus rationibus? Dicit, Martinum *authorem esse plenum fabularum.* Atqui eundem lib:4. cap:13. pro Gregorio VII. testimonium dicentem, producit. Vafrum Iesuitæ ingenium. Vbi Martinus Polonus de Gregorio VII. honorificè scribit, testis idoneus producitur: ubi verò contra Ioannam Octavam, author plenus fabularum. Secundò dicit Bellarminus, *hæc in cæteris historiographis non haberi.* Sed pro me respondeat Volaterranus lib: 22. in comment:Pontif: dicatis. *Multi hanc historiam propter rei fæditatem omiserunt.* Tertiò, dicit *authores inter se de hoc negotio convenire non posse.* Sed recordari eorum debebat, quæ lib: 2. cap: 5. de Romano Pontifice scribit: *Authores non posse inter se convenire, quo tempore Petrus Romam venerit, interim tamen illud ipsum tanquam Articulum fidei credendum obtrudit.* Quartò, dicit *statuam erectam habuisse potius effigiem sacerdotis sacrificaturi, quem puer à tergo sequeretur.* Si ita fuit, cur statua hæc sublata est? servanda potius fuerat hæreticis, calumniæ & mendacii convincendis. Cùm itaque de Papa fœmina historia sit longè verissima, sequitur non tantùm tribus antepositis rationibus, sed etiam hac quarta, successionem in Ecclesia Romana interruptam esse, Pontificesque Romanos, qui nunc rerum potiuntur, non à gladio (ut barbarè cum iis loquar, qui jure Magdeburgico gaudent,) sed *à colo & fuso* derivatam successionem habere.

VIII. Ar-

VIII. ARGUMENTUM. Omnes legitimæ in Ecclesia ordinationes debent esse juris Divini.

Ordinationes Sacerdotum in Ecclesia Romana non sunt juris Divini.

Ordinationes ergo Sacerdotum legitimæ non sunt.

Major negari non potest. Quæ enim ad cultum Divinum spectant, ea juris Divini esse debent.

Minor confirmatur hac ratione. Omnes ordinationes Presbyterorũ in Ecclesia Romana, nituntur ordinatione Episcoporũ.

Ordinatio Episcoporũ nititur primatu Pontificis Romani.

Primatus Pontificis Romani nititur primatu Sancti Petri. Atqui primatus Petri talis, qualem ipsi affingitis, ex jure Divino probari non potest. Proindè primatus Pontificis, & ab ipso ordinationes Episcoporum & Presbyterorum descendentes, sunt juris humani, positivi, ne dicam nullius, aut fictitij. Duo itaq; mihi impugnanda veniunt: Primatus Petri; & primatus Pontificis, quæ si immotis argumentis expugnavero, te, causa cadente, vicero. Ergo contra Primatum Petri argumenta hæc sunto.

1. Si Christus omnibus Apostolis parem tribuit potestatem, sequitur quòd Petro super Apostolos primatum non dederit. Antecedens verum. Ergo & Consequens. Antecedens probatur, quia Christus omnibus Apostolis æqualiter dicit: Matth: 24. v. 19. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. Iohan: 20. v. 22. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. De veritate itaq; consequentis dubitandum non est.

Argumenta contra primatũ Petri.

2. Argumentum. Consenior, Principem Pastorum super se alium agnoscens, primatum habere nequit.

Petrus fuit talis Consenior.

Primatum igitur minimè habuit.

Major manifesta. Vocabulum enim Consenioris parilitatem cum cæteris Senioribus, non primatum super illos, denotat.

Minor probatur expressis illius verbis. 1. Pet: 5. v. 1. *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro Consenior & testis Passionum, qui & ejus, quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicator.* Pascite, *qui in vobis est gregem Dei, providentes non coactè sed spontaneè secundùm Deum.* Neq; turpis *lucri gratia*, sed *voluntariè: Neq;* ut *dominantes in Cleris, sed forma facti gregis ex animo, Et cum apparuerit princeps Pastorum percipietis immarcescibilem gloriæ coronam.* Conclusio itaq;, quin vera sit, nulla dubitandi causa.

3. Qui primatum tenet in Ecclesia, nulli rationem tenetur dare facti sui.

Petrus tenebatur altercantibus cum ipso fratribus, rationem facti sui reddere.

Primatum igitur in Ecclesia super cæteros non tenuit.

Major probatur jure Canonico, Causa 9. quæst: 3. *Neq; ab Augusto, neq; ab omni Clero, neq; à Regibus, neq; à populo, iudex iudicabitur.*

Minor confirmatur historia Act: 11. In qua scribit Lucas, *fratres ex Circumcisione disceptaße cum Petro, quòd Evangelium prædicaßet gentibus: Petrus autem secum expostulantibus facti sui dedit rationem*, dicens, se *per visionem oblatam Cælitus monitum, ne gentes recipiendo Christi Evangelio, ineptas putaret.* Ex veris itaq; præmissis, & inter se benè cohærentibus, conclusio vera exurgat necesse est.

4. Primas in Ecclesia nulli paret, sed ipsi omnes parere tenentur.

Petrus paruit Ecclesiæ Dei mittenti se in Samariam.

Ergo in Ecclesia primas non fuit.

Major probatione non indiget. Minor manifesta ex Act: 8. v. 24. *Cùm audißent Apostoli, qui erant in Hierosolymis, quòd recepißet Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum & Iohannem.* De veritate conclusionis nemo sanæ mentis dubitaverit.

5. Primati in Ecclesia nullus resistere potest, aut debet.

At Petro Paulus in faciem restitit.

Non fuit igitur Petrus inter Apostolos Primas.

Major probatur jure Canonico Distinct: 40. Si Papa. *Si Papa innumerabiles populos catervatim secum ducit, mancipio Gehennæ cum ipso plagis multis vapulaturos, hujus culpas isthic redarguere præsumit mortalium nullus, quod cunctos ipse judicaturus à nemine judicandus est.* Minor patet ex verbis Pauli Galat: 2. ver. 11. *Cum venißet Petrus Antiochiam in os ei restiti, eò quòd condemnandus eßet.* Vera igitur & Conclusio.

6. Si Petrus fuisset Primas in Ecclesia, capitis officium aliquando exercuisset.

Atqui nunquam capitis, sed semper membri officium exercuit in Ecclesia.

Petrus igitur non fuit Primas.

Connexi hypothetici veritas hinc elucet. Quia vana est potentia quæ nunquam perducitur ad actum. Petrum verò capitis nun-

tis nunquam, membri semper, officium exercuisse, hinc patet: quia cum Ioanne & *Iacobo dextras dederunt societatis Paulo & Barnabæ, ut illi inter gentes, hi verò in circumsione docerent* Galat: 2. v.9. Subruto itaq; primatu Petri Pontificis primatus ultro corruit, quem in antiqua Ecclesia Papam minime habuisse his evinco argumentis.

Argumenta contra primatum Papæ,

1. Cui Patriarchæ cæteri, reservato tantum primatu ordinis, privilegiis omnibus exæquati sunt, ille non fuit Primas ratione potestatis in Ecclesia.

Atqui Papæ Romano cæteri Patriarchæ privilegiis exæquati sunt.

Papa igitur Romanus non fuit in Ecclesia Primas.

Major manifesta. Primati enim nullus exæquari potest.

Minor probatur testimonio Conciliorum. Concilium Nicœnum 1. c. 6. *Mos antiquus perduret in Ægypto vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem: quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est. Similiter autem & apud Antiochiam cæterasq; Provincias honor suus unicuiq; servetur Ecclesiæ.* Concilium Constantinopolitanum 1. C.5. *Constantinopolitanæ Civitatis Episcopum habere oportet & Primatus honorem post Romanum Episcopum, quod sit nova Roma.* Concilium Calcedonense Actio 16. *Tandem judices dixerunt: Ex iis quæ gesta sunt, vel ab unoquoq; deposita perpendimus, omnem quidem Primatum & honorem præcipuum secundùm Canones antiquæ Romæ Deo amantissimo Archiepiscopo conservari. Oportere autem Episcopum Constantinopolitanum eisdem primatibus honoris & ipsum dignum esse & potestatem habere ordinare Metropolitas in Asiana & Tracia & Pontica Diœcesibus: hoc modo: ut electi à clericis cuiuscunq; Metropolis Episcopi referantur ab eligentibus Archiepiscopo Constantinopolitano, ut penes eum sit, si velit hunc, qui electus est, confirmare vel repudiare. Episcopi dixerunt, hæc omnes dicimus.*

2. Ille esset in Ecclesia Primas, ad quem undiq; appellare liceret.

Ad Papam undiq; appellare non licuit.

Papa igitur Primas in Ecclesia non fuit.

Major in Confesso. Minor probatur Conciliis, Exemplo, & Confessione Papæ. Concilium Nicœnum C. 5. *Servetur & ista sententia, ut hi qui ab aliis excommunicantur, ab aliis ad communionem non recipiantur.* Ibi concilium in judicium Episcopi inquirere jubet, non Papam, sed provincialem Synodum. Concilium

Antiochenum C. 6. *Si quis à proprio Episcopo communione privatus est, non ante suscipiatur ab aliis quam suo reconcilietur Episcopo, aut certè ad Synodum, quæ congregatur, occurrens, pro se satisfaciat, & persuadens Concilio, Sententiam suscipiat alteram.* Can: 15. *Si quis Episcopus de certis criminibus accusatus, condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Provinciæ, cunctiq; concordanter eandem contra eum formam decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere sententiam.* Concilium Milevitanum C. 22. *Placuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos, quicquid est finiant, adhibiti ab eis, ex consensu Episcoporum suorum. Quod si ab eis provocandum putaverint, non provocent, nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Provinciarum suarum. Ad transmarina autem, qui putaverint appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiantur.* Idem probatur exemplo. Fortunatus & Felicissimus in Africa condemnati, confugiunt ad Cornelium Episcopum Romanum: iniquè & illegitimè eos appellâsse probat Cyprianus Epist: 55. ad Cornelium Episcopum Romanum. His rationibus. 1. Quod his appellationibus, subdolâ temeritate, concordia Episcoporum collidatur. 2. Quod ibi causa sit agenda, ubi reus testes & accusatores habere potest, id est, in ea provincia, in qua crimen ortum & admissum est. 3. Quod non sit inferior authoritas Episcoporum in Africa. Verba eius sunt: *Nisi, si paucis desperatis & perditis minor videtur esse authoritas Episcoporum in Africa constitutorum, qui jam de illis judicaverunt.* Iisdem rationibus Concilium Carthaginense sextum probat: Non licere appellationem fieri ex Africa ad Papam Romanum Epist. ad Cœlestinum Romanum Episcopum. Probatur idem Confessione Papæ Damasi, qui ita scribit Epist: 79. Inter Epistolas Ambrosii ad Theophylum & Anisium. *Cùm huiusmodi fuerit Concilij Capuensis judicium*, ut *finitimi Bonoso, atq; eius accusatoribus judices tribuerentur, & præcipuè Macedones, qui cum Episcopo Thessalonicense de eius factis cognoscerent, advertimus quod nobis judicandi forma competere non potest.* Quod itaq; conclusum, longè est verissimum.

3. Ille esset in Ecclesia Primas, à quo appellare minimè liceret.

A Papa Romano appellare licuit.

Papa igitur in Ecclesia Primas non fuit.

Majoris veritas manifesta. Minor probatur exemplo ex Epist: Augustini, 162. Donatus accusat Cæcilianum apud Imperatorem, Imperator delegat Iudices, Melchiadem Episcopum Romanum, Rhetitium, Maternum & Marium. Hi auditum damnant Donatum, Cœcilianum verò absolvunt. Donatus judicio eorum non acquiescit. Imperator denuò Episcopo Arelatensi causam diligentiùs cognoscendam committit: à quo iterum Donatus ad Imperatorem provocat, Imperator Cœcilianum absolvit, Donatum damnat, qui postea nullo Iudicio experiri ausus est. Verum est itaq; quod conclusimus.

4. Primas in Ecclesia pro Synodorum indictione nulli supplicare debet.
Atqui Papa pro Synodorũ indictione Imperatori supplicavit.
Primas igitur in Ecclesia non fuit.

Major probatione non indiget. Minor probatur exemplis duobus, quorum 1. Liberius Papa in causa Athanasii exulantis petit à Constantio Imperatore Synodum, apud Theodoretum lib: 2. C. 16. *Si tuæ Clementiæ ita visum sit, judicium haberi jubeto.* &c. paulo post: *Omnes contendamus Alexandriam, ubi reus, ubi accusatores & causæ eorum Patronus sunt: atq; litigantium causa diligenter cognita, sententiam de ea pariter feramus.* 2. exemplum. Leo Papa supplicabat Theodosio Imperatori, ut Concilium convocari curaret, Epist: 9. ad Theodosium Augustum. *Pietas vestra supplicationi nostræ dignetur annuere, & intra Italiam jubeatis haberi Episcopale Concilium.* Epist: 24. *Omnes sacerdotes cum lachrymis & gemitibus mansuetudini vestræ supplicant, ut Generalem Synodum intra Italiam jubeatis celebrari.* Idem Leo Pulcheriæ Augustæ ut apud Imperatorem pro indictione Synodi intercederet, supplicavit Epist: 26. *Quod ut obtinere mereamur, probatissimæ nobis fidei pietas tua, quæ labores Ecclesiæ semper adjuvat, supplicationem nostram apud Clementissimum Principem dignetur asserere.* Verum itaq; quod conclusimus.

5. Si Papa fuisset in Ecclesia Primas, ei non posset à quoquam obsisti, nec judicium ad Concilium unquam detulisset.
Atqui cum Papæ obsisteretur, judicium ad Concilium detulit.
Primas ergo Papa in Ecclesia non fuit.

Papam autem id fecisse probatur exemplo. Innocentius Papa Chrysostomum Ecclesiæ suæ restitui apprimè curabat, sed frustra, orientalibus Episcopis contra renitentibus: Iudicium ergo totum Concilio committit, Epist: ad Clerum apud Zozomenum

menum lib: 8. c. 26. *Sed quondam remedium hisce rebus in præsenti adferemus? Necessaria erit Synodalis cognitio, quam etiam multò jam antea congregandam diximus. Ea quippe sola est, quæ huiusmodi procellarum impetus retundere potest.*

6. Si Papa unum Monachum ex aliena Diœcesi pellere non potuit. Sequitur illum Primatem non fuisse.

Verum Antecedens: Ergo & Consequens.

Antecedens probatur exemplo. Leo Papa Epist: 46. Supplicat Pulcheriæ Imperatrici, ut Eutychetem ex Diœcesi Constantinopolitana in remotiora loca pellat.

7. Si Papa invito & reluctante Episcopi alii deponebantur, alii functi sunt suo officio. Sequitur Papam Primatem non fuisse.

Verum Antecedens, Ergo & Consequens.

Antecedens probatur exemplis. 1. ex Epist: Cypri: 68. Basilides & Martialis Hispani, Idololatriæ libellis contaminati, ab Hispanis Episcopis deponuntur. Basilides Romam proficiscitur: A Stephano Papa restituitur. Cyprianus ad Hispanos scribit, ne sic quidem illos recipiendos, sed Sabinum, qui in locum Basilidis electus fuerat, in electione confirmandum esse. 2. Chrysostomus factionibus Theophyli & Epiphanii Episcopatu deponitur. Innocentius Papa in eo restituendo laborat; sed frustra: Nam totum postea negocium in Concilium rejicit, ut Epist: ejus ad Clerum testatur. 3. Exemplum. Ex Theodoreti lib: 5. c. 23. Flavianus Episcopus Antiochenus post Meletium constitutus, reluctantibus frustra tribus Episcopis Romanis, Damaso, Syritio, Anastasio, sibi invicem succedentibus, Episcopatu functus est.

8. Si Papa invito & per legatos suos reclamante, Concilia, Canones suos condiderunt.

Sequitur Papam in Ecclesia primatem non fuisse.

Verum Antecedens: Ergo & Consequens.

Veritas antecedentis probatur exemplis. 1. Reclamantibus per Legatos Zozymo, qui Canones Nicœnos falsavit, Bonifacio & Cœlestino, Romanis Pontificibus Concilia Africana Canones condiderunt, ne Africanis liceret Romam appellare. Testantur acta Concil: Afric: 2. Reluctantibus, sed frustra Legatis Papæ Lucentio Episcopo & Bonifacio Presbytero: Concilium Calcedonense, ut patet ex actione 16. Constantinopolitanum Patriarcham Romano Papæ omnibus privilegiis exæquavit.

9. Si Papa fuit subjectus Imperatori, non fuit ergo Primas ratione potestatis, quam sibi nunc vendicat.

Antecedens verum, Ergo & Consequens.

Antecedens probatur his rationibus. 1. Quia Imperator probabat vel improbabat Electionem Papæ. Platina in vita Pelagii secundi. *Nihil enim à Clero in eligendo Pontifice actum erat, nisi eius electionem approbaßet Imperator.* Sabellicus Eneadis 8. lib. 5. *Pelagius Papa Gregorium miserat Bizantium, ut se apud Principem purgaret, ne sibi noxæ daretur, quod sine illius assensu paßus eßet se renunciari Pontificem. Enimverò irrita erat tunc Pontificis declaratio, nisi eam Imperator suo probaret aßensu.* Quin imò Adrianus Papa, cum universa Synodo Lateranensi, jus ordinandi Pontificem Carolo Regi concesserunt. Verba Canonis hæc sunt: *Adrianus Papa cum universa Synodo tradiderunt Carolo jus & potestatem eligendi Pontificem & ordinandi Apostolicam sedem: dignitatem quoq; Patriciatus ei conceßerat. Insuper Archiepiscopos & Episcopos per singulas provincias ab eo investituram accipere definivit, ut nisi à Rege laudetur, & investiatur Episcopus à nemine consecretur, & quicunq; contra hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodavit, & nisi resipisceret, bona eius publicari præcepit.* 2. Quia Papa tenebatur accersitus coram Imperatore comparere. Exemplum apud Theodoretum lib: 2. c. 16. Liberius Papa à Constantio Imperatore accersitus comparet, quem Imperator ita alloquitur: *Nos, quoniam Christianus es, & nostræ Civitatis Episcopus, idcirco duximus operæ pretium te accerßere.* Appendix Eutropij in Sylverio. *Si quando Imperialis Legatus mitteretur à Principe, ut Romanus pontifex proficisceretur Constantinopolim ad Imperatorem, omni neglecta occasione, ibat, etiamsi certò sciret, se iturum in exilium.* 3. Quia Papa pro arbitrio Imperatoris Iudex delegebatur. Exemplũ habuimus supra in Melchiade. 4. Quia Papæ, quoties cum Imperatoribus de rebus Ecclesiasticis, præsertim de indictione Conciliorũ agebant, toties humiliter supplicabant. Exemplũ superius habuimus in Liberio & Leone. 5. Quia Papæ ab Imperatoribus deponebantur, quod patet, ex exemplis: Quorum primum. Iustinianus Imperator, Sylverium & Vigilium Papas deposuit, & in exilium egit, teste Platina in vita illorum, Balæus autem à Theodora Augusta, & Antonina uxore ducis Bellissarii, hoc factum scribit. Secundum exemplum. Otto primus Imperator Ioannem XIII. ob summa flagicia, Papatu deposuit, testatur Tom: 2. Concil: Platina in vita eius. Luitbrandus lib: 6.

Dist: 63. Can: Adrianus ex hist: Eccl.

dus lib: *6.* 3. Exemplum. Henricus Imperator III. tres Papas, Benedictum nonum, Sylvestrum tertium, Gregorium sextum (quos Platina vocat tria mundi teterrima monstra) inter se de Papatu digladiantes, summovit teste Vrsbergense Anno 1 4 0 5. Platina, & Balæo, in vitis eorum. *6.* Quia Papæ olim Imperatorem Dominum suum agnoscebant. Gregorius lib: 4. Epist: 31: *Sacerdotibus Dominus noster ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat.* Idem lib: 4. Epist: 14. *Deus nos sub vestra manu secundùm piam misericordiam disponit.*

DECIMUM ARGUMENTUM. Si Papa frater, Collega, Coëpiscopus, cæterorum Episcoporum fuit, Primas in Ecclesia esse non potuit.

Antecedens verum, Ergo & Consequens.

Antecedens probatur, ex Epist: Cypriani ad Cornelium Lucium & Stephanum, Papas Romanos, in quibus frequens inscriptio reperitur. *Cyprianus Cornelio fratri salutem. Cyprianus cum Collegis Lucio fratri salutem. Cyprianus Stephano fratri salutem.* Epist: 68. Stephanum Papam, Cyprianus *Collegam* vocat. Cornelius Papa Epist: 46. Inter Epistolas Cypriani, ad Cyprianum scribens, se *Coëpiscopum* vocat. Concilium Constantinopolitanum apud Theodoretum lib: 5. c. 9. Damasum Papam, Ambrosium, Brittonem, *Consacerdotes* vocat.

His itaq; decem argumentis antiquos Episcopos Ecclesiæ Romanæ primatum potestatis in Ecclesia minimè habuisse, abundè evici. Hodiernum Papam, non tantùm Primatis, sed nec Episcopi quidem legitimi, nomine dignandum esse hac ratione efficiam.

Quicunq; præcipuâ & essentiali virtute veri Episcopi caret, ille non est verus Episcopus.

Romanus Pontifex tali virtute caret. Non est igitur verus Episcopus.

Major extra controversiam vera. Minor probatur hoc medio. Præcipua & essenticlis virtus veri Episcopi hæc est, verbum Dei purè velle & posse docere, Sacramenta verò ritè administrare. Hoc enim commisit Christus Apostolis Matth: 28. v. 19. *Euntes docete, Baptizantes eos.* &c. Paulus etiam in vero Episcopo requirit, ut *sit aptus ad docendum*, 1. Tim: 3. v. 2. & *ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere.* ad Tit: 1. v: 9. In eadem sententia fuêre & ipsi pontifices Romani. Ita enim Leo Magnus, cujus verba refert Episcopus Espensæus in

Tit: cap: 1. & in 9. 1. Tim: 3. Digres: lib: 2. *Non est mihi*, inquit, *liberum tacere aut fidelibus populis sermonis officium subtrahere.* Greg: Magnus Epist: 24. Idem probat à ritu veteri. *Nec sancta ingredi Pontifici licebat, nec Antistitis nomen possidere. Audiatur*, ait Dominus Mosi, *sonitus, quando ingreditur, & sonitu prædicationis incedat.* Idem fuit judicium Patrum. Chrysostomus, & Oecumenius in verba Pauli, *Oportet Episcopum aptum esse ad docendum.* Hæc scribunt: *Adijcit Apostolus, quod est Episcopi proprium aptum esse ad docendum.* Hieronymus apud Espensæum: *Si quis plebem sibi subjectam non instruit, nec Apostolus, nec Propheta, nec Episcopus, nec Pastor appellandus est.* Quin & recentiores non abnuunt. Aquinas Comment: in 1. Tim: 3. *Proprium est Pastoris officium docere.* Lyranus in cap: Matth: 23. asserit: *Episcopos propterea mitras duplici cornu gestare, ut habeant, ad instruendum populum utriusq; testamenti cognitionem.* Ferus Comment: in Mat: 26. *Olim portenti loco habitus est, qui per se non exhiberet officium Episcopi. Nunc verò habetur, qui exhibet. Quos cum Scriptura, Concilia, Patres, superi, inferi, accusent & damnent, quis est, qui absolvat?* Alphonsus de Castro lib: 1. adversus hæres: cap: 13. *Ad prælatos ex officio spectat docere populum. Petro enim dictum erat: Pasce oves meas: Quis autem verior pastus, quàm verbum Dei?* Hinc argumentamur. Papa Romanus, aut potest docere, & non vult, aut vult & non potest. Si potest, & non vult, legitimus Episcopus non est. Illud enim officii detrectat, quod legitimo Episcopo essentiale est. Si vult & non potest, legitimus Episcopus non est. *Oportet enim*, teste Paulo, *Episcopum aptum esse ad docendum.*

Quid vos ad hæc tàm fundamentalia? Respondet Bellarminus lib: 3. de Romano pontifice cap: 24. *Satis est, si ista curet ab alio præstari.* Egregiam sanè responsionem. Atqui hac ratione & centenaria anus Episcopum Romanum agere posset. posset enim tales habere, per quos officium docendi subiret. Sed refutet potius Iesuitam Iesuita Maldonatus in summula quæst: 10. Ar: 3, 5, 6. *Nomen*, inquit, *pastoris significat actionem personalem, sicut nomen Medici. Nec quicquam valet responsio communis: satis est per vicarium laborare, quia etiam satis esset per Vicarium manducare. Scriptum est enim: qui non laborat, non manducet.* Rectè igitur Anonymus quidam: *Qui per alium prædicandi munere suo defungitur, habebit salutem vicariam, sed pœnam personariam: Ibit enim in gehennam per se, in paradysum per alium.* Quandoquidem igitur Papa plebem sibi commissam docere aut non vult, aut non potest, jure o-

ptimo concluditur, ipsum veri Episcopi nomine, nedum Primatis, minimè insigniri debere.

Habes, Vir doctissime, rationes octo, quibus Ordinatio vestra à radice evulsa est. Tua provocatio fecit, ut in ista erumperemus. Cui potius ob oculos versari debebat illud:

Omni vitio careat necesse est, qui in alium dicere paratus est.

Nec non:

Tecum habita & noris, quàm sit tibi curta supellex.

Eas, si tu refutare volueris, per utriusq; nostrum salutem, quâ nobis nihil carius esse debet, ut id solidè, candidè & modestè facias, te oratum volo. Ego ipse lubens agnosco, quod te Antagonistam habeam, qui in disputando longè sis exercitatior; Non dubito tamen: quin cordati, candidi, & pii Viri calculo suo comprobaturi sint, me esse veritate & bonitate causæ, longè superiorem. Non itaq; ego, sed ipsa veritas, de te triumphabit. IESUS, doctissime Iesuitarum, mihi, tibiq; esto IESUS. AMEN.

Ad majorem DEI gloriam.